Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26489
Copyright: Admont, Benediktinerstift



falsa pro ueris? At senex nec quidem sperat quod
habet et est eo meliori conditione quam adolescens
cum id quod ille sperat hic consecutus est. Ille
uult diu uiuere hic uixit diu. quamquam (o dii bo
ni) quid est in uita hominis diu? da enim supre
mum tempus. expectemus tharsorum regis etatem
fuit enim ut scriptum est Archantonius
quidam grandis qui octoginta regnauit annos uix
it centum uiginti sed michi quidem nec diutur
num quidquam uidetur in quo aliquid extremum est.
Cum enim id aduenit tunc id quoque preteriit
effluxit tantum remanet quod uirtute et bene
factis recte consecutus sis. hore quidem cedunt et
dies et menses et anni. nec preteritum tempus
unquam reuertitur nec quid sequatur sciri potest Quod
cuique temporis ad uiuendum datur eo debet esse
contentus. neque enim histrioni ut placet perage
da est fabula modo in quocumque fuerit actu probetur
neque sapienti usque in finem plaudite uiuen
dum est. breue enim tempus satis longum est ad
bene honesteque uiuendum Sin processeris longi
us non magis dolendum est quam agricole dolent